



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Serenissimo Mavritio Principi Cardinale de Sabavdia, Ioannes de Lvgo, e
soc. Iesv, F.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



SERENISSIMO
MAVRITIO PRINCIPI
CARDINALI
DE SABAVDIA,

IOANNES DE LVGO, E SOC. IESV, F.

VIDEBITVR fortassè importunè magis, quàm
opportunè venire Liber hic meus de Pœnitentia
ad Te, PRINCEPS SERENISSIME: quor-
sum enim Pœnitentiæ remedium ad eum, cuius
constans per omnem prorsus ætatem innocen-
tia vitæ, ac illibatus morum candor tenacissimè
custoditus omnibus in comperto est? *Pœnitentia* (inquit Syne-
sius) *nullus in tranquilla anima locus esse potest.* Debit tamen om-
nino squalida, & horrida Pœnitentiæ facies à nominis splendo-
re Tui lucem, ac pulchritudinem mutuari. Scio etenim, apud
Ecclesiasticos interpretes Mare illud vitreum coram Diuini Nu-
minis throno Euangelistæ Ioanni ostensum Apocal. 4. signifi-
casse lauacrum istud Pœnitentiæ, quod ante diuinum Christi
tribunal ad abluendas humanæ vitæ maculas clementissimus
Iudex, diu, noctûque patère omnibus voluit. Lauacrum, in-
quam, de quo Zachar. 13. prænuntiatum fuerat: *Erit fons patens* 3. Reg. 7.
domui David in ablutionem peccatoris. Mare, scilicet, non simi-
le, sed idem planè ac illud, quod æneum antea à Salomone
constructum fuerat; non vt Sacerdotes biberent, sed vt ablueren-
tur, neque vt semel solum abluerentur (ne fortè alij ad Eucharis-
tiam, ad Baptismum alij symbolum illud referre liberè possent)
sed ad frequentem, ac quotidianam planè sordium ablutionem.
Hoc vno mare alterum alteri dissimile fuit, vt quod veteribus
æneum fuerat, fieret nobis vitreum: quia ablutionis Sacramenta,
quæ illis ænea fuerant, & obscura, nec nisi lynceis oculis perspici
poterant, pellucida nobis fiunt, & clarissimis absoluentis Sacer-
dotis vocibus manifestantur. Vitreum certè mare, quod sicut &
vitrum

Lib. 36.
cap. 2.

vitrum ipsum, auctore Plinio, ex vili, ac sordida nitri, arenæque materia permixta coalescit: sic ex sordidis scelerum facibus conglutinate, & fouente Diuinæ charitatis igne conficitur. Verum mare hoc, quantum quantum id erat, circumfidebant Principes supremi (quos Ioannes veteri vocabulo *Seniores* appellat) coronas singuli aureas in capite gestantes. Oportebat enim, vitrum ipsum splendescere magis à splendore circumfidentium capitum coronatorum, & contra aduersariorum audaciâ assidentium, tutelâ Principum, & auctoritate muniri. Vides iam, qualem personam in hoc qualicumque opere nostro exhibiturus adueneris, PRINCEPS SERENISSIME, *Macenas* non *atavis* solum, sed *avis edite Regibus*, & prohe Deus! quantis Regibus. Quanquam nec maximum hoc in Regia vestra familia sit, quod Regibus orta, sed quod ex ipsa vniuersi Christiani Orbis orti sint Reges. Parum vobis erat Reges Gallos, Anglos, Hispanos, Polonos, Siculos, Supremos vtriusque Imperii Cæsares, aliosque omnes, datis, acceptisque frequenter sporis, repetitis nexibus vobis copulasse: Parum tenuisse Principatum per innumera sæcula in ipsis Italiæ, Galliæ, Germaniæque faucibus, & confinibus: nisi & iidem Principes Progenitores vestri illustriori certamine contendissent singuli auitam gloriam incrementis maioribus superare: nisi eorumdem facinora egregia, Bellica, & Domestica gloria, Triumphatæ gentes, *Æquitas*, *Iustitia*, *Pietas* erga Deum, & Superos eximia, mortalium animos, annorum omnium Historias, Orbem denique vniuersum occupassent. Difficile certè Tibi erat hæreditarium hoc gloriæ patrimonium accessione aliquâ dilatare, & locupletare propriarum laudum. Didicisti tamen, verum id esse, quod dixerat Plinius, *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse summittat securus magnitudinis suæ: neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longius abest, quàm ab humilitate*. Didicit hoc ipsum Roma, quæ suauitate morum, ac facilitate ista Tua in tanta Celsitudine omnino capta non potuit non amare, & admirari præsentem, nec iterum, atque iterum absentem communibus omnium votis non desiderare: Vt iam Gentilitium illud vestrum FERT, non tam de magno illo Tuo progenitore Amedeo, quòd *Fortitudo Eius Rhodum Tenuit*, quàm de Te eisdem initialibus literis legere cogeretur, quod *Facilitas Eius Romam Traxit*. Traxit meritò Romam, & Romanorum animos rara ista in Principe Humanitas: *Nil enim æquè, teste Isidoro Pelusiota, tam apud homines amplum, ac præclarum, quàm apud Deum splendidum, & laude dignum aliquem reddere solet, ut ea quidem, quæ velit efficere posse, semper autem benigna, atque humana, & velit, & faciat*. Traxit rarior ista in aula Innocentia, Religio, Pietas, & rarissimum Christianæ Modestię, ac demissionis spectaculum, quando

In Paneg.
cap. 71.

Lib. 2.
epist. 15.

quando egenis in communi pauperum hospitio decumbentibus;
 feruli habitu ministerium, & obsequium exhibere indignum
 Tua ista Celsitudine non putasti. Traxit hæreditaria, & verè au-
 ra à magno illo tuo Auo Prudentia sine dolo. Traxit Liberalitas;
 quâ quod ille de Cæsare suo dixit: *Spem superas, cupienda præuenis,*
vota præcurris, quæque animi nostri celeritas Diuum instar affectat, be-
neficiis præeuntibus anteceditur. Præstare tibi est, quàm nobis optare
 suum descriperat, talem te Roma inuenerat: *Lautis manibus, men-*
te purâ, immaculabili conscientia, & quod in paucis est, cogitatione
sincera. Cuius unquam egressus auspiciator fuit, aut incessus modestior,
aut habitudo cohibitor, aut familiaris habitus condecenior? Hæc ta-
 men communia omnibus sunt; quæ si defuissent, debebatur mul-
 tis aliis tibi nominibus quaecumque hoc erga Tua merita grati,
 & obsequentis animi testimonium. Debebatur quippe ab ho-
 mine Hispano Tibi, in quo magni illius Philippi materni tui
 Aui gratissimam memoriam veneratur Hispania, mores item, ac
 indolem contemplatur. Debebatur ab homine nostræ Societatis,
 cui Benignitatis, ac plusquam paternæ Liberalitatis fontem iam-
 diu reuerasti; & verè fontem: ita largiter, & perenniter in nos flu-
 xit, erectis non solum novis eidem Societati domiciliis, sed Socie-
 tate ipsâ vniuersa in sinu patrocinijs Tui, tanquam in asylo tutis-
 simo collocatâ. In quo quamuis imiteris cœlestia sydera, quæ lu-
 cent hoc tantum vt luceant, & beneficia sunt sine humana affe-
 ctatione, aut aspectu: nostra tamen interest speciem aliquam ex-
 hibere grati animi, nec sinere, vt Tibi sit tantum ex conscientia
 merces. Debebatur denique à me, quem à primo tuo in urbem
 aduentu Patrocinijs, ac Benevolentia tuæ participem, Tuumque
 omnino esse voluisti. Ingenuæ, & gratæ indolis esse dixit ille, si
 cui multum debes, plura debere studeas. Tibi ergo, cui plurima,
 & quod plurimis maius est, amorem debebam tuum, debere de-
 nuo volui voluminis huius tutelam, quod licet exiguum, & nul-
 lus pretij sit; munera tamen talia sunt, qualia vult esse qui acci-
 pit. Si voles itaque magnum hoc erit: & certè paruum esse non
 poterit, quod à magno isto nomine Celsitudinis tuæ lucem ac-
 cipiet. Vale ad Christiani Orbis publicum bonum. Ex Colle-
 gio nostro Romano 1. Februarij, anno 1638.

Aufonius
 initio Pa-
 negy. in
 Gratian.

Ibidem;

A D